



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ivramentvm Comitis Ildebrandini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

330 Epistolarum Innocentij III.

me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

IVRAMENTVM COMITIS Ildebrandini.

Epist. 578.

Ego Comes Ildebrandinus ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro & Domino meo Papæ Innocentio ejusque successoribus canonice intratibus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in facto, neque in dicto, neque in consilio, aut in consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod perse vel per suum nuntium aut per suas literas mihi manifestaverint, ad eorum damnum me sciente nulli pandam. Si eorum certum damnum sciero, si possum, remanere faciam, sin autem, aut per me aut per meū nuntium vel per talem personam, quam pro certo credam eis dicturam, significabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, & nominatim Montem altum, & quicquid aliud teneo de ipsis regalibus, adjutor ero ad retinendum, que non habet ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Cùm autem à Domino Papa fuero requisitus per literas ejus aut per nuntium suum certum, ad præsentiam ejus accedam, ubi securus possum accedere, & in manibus ejus ligium hominum ei faciam. Hæc omnia bona fide sine fraude & malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet & sancta hæc evangelia.

ODDONI EPISCOPO & Capitulo Pennensi.

Epist. 579.
Confirmat cō-
positionem fa-
ctam inter Epif-
copum Pennen-
sem & mona-
sterium S. Viti
de Furca.

* benignum

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Oddoni Episcopo & dilectis filiis Canonicis Pennensis salutem & apostolicam benedictionem. Iustis potentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota qua à rationis trāmitē non discordant effectu prosequente completere. Eapropter vestris iustis postulacionibus * impartientes assensum, quæ inter bonæ memoriarum Odorisium Pennensem Episcopum & Odolerium Priorem sancti Viti de Furca, super iustitiis quas Pennensis Ecclesia in Ecclesia sancti Viti de Piscaria, quæ memorata Ecclesia sancti Viti de Furca noscitur esse subiecta, diocesana lege tanquam matrix Ecclesia

vindicabat, amicabiliter intercessit, sicut legitimè facta est & ab utraque parte recepta, & hactenus observata, ut in scripto authenticō confecto exinde continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno primo.

REGI ANGLIAE.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei illustri Regi Angliae salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam de regia celstitudine spem certam & fiduciam obtinemus ut Ecclesiæ & ministros ecclesiasticos dignè satagat honorare, ipsosque suæ defensionis & protectionis munimine confovere, regalem magnitudinem ad hæc libenti animo apostolicis exhortationibus invitamus, & animum tuum ad ea volumus inducere per qua Regi Regum, cuius propitiante gratia regni obtimes dignitatem, dignis operibus valeas complacere, ipsiusque tibi conciliare favorem. Nos itaque pro dilectis filiis nostris monachis Cantuariensis Ecclesiæ preces apostolicas porrigimus, magnificentiam tuam rogamus, monemus, & in Domino attentiū exhortamur, quatenus ipsos & eorum Ecclesiæ propensiū habeas commendatos intuitu precum nostrorum, & ob reverentiam gloriosi martyris Christi Thomæ, qui sanguine martyrij Cantuariensem Ecclesiæ illustravit, & à malignantium propulsione defendas, & eis sua jura illibata studeas & integra conservare. Datum Romæ apud sanctum Petrum Non. Martij, pontificatus nostri anno primo.

SUFFRAGANEORVM Cantuariensis Ecclesiæ ad Innocentium Papam.

Reverendo Patri & Domino Innocentio Summo Pontifici suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ salutem. Gratias agimus gratiæ largitori, qui suam fundans Ecclesiæ supra petram, in Petro & per eum in successoribus ejus fratres suos confirmandos esse prædictit. Unde & cùm de beatæ recordationis Celestini Papæ III. obitu essemus perturba-

Epist. 580.
Scribit pro mo-
nachis Cam-
tiensibus.

Epist. 581.
Rescribit in
causa capelle
de Lambec.
Vide supra epist.
432.